



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

125. Sabbato. Septem gaudia D. Virginis ex Christo glorioso.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

**1. Conf.** Quomodo Dominus, qui deorsum confortabat ad patientiam, sursum invitet ad gloriam. Primò enim docendus est auditor, deinde Fidei Sacramentis imbuedus, tum ad servanda mandata instruendus: *docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis; quæ quidem non sunt pauca, & levia, nisi præsentia gratiæ, & spe gloriæ alleviantur.*

**Conf 2.** Quomodo cum Discipulis abeundum in Galilæam, seu transmigracionem, vel revelationem. O beatam transmigracionem ex seculo in illam æternitatem, & beatam revelationem, cum eum videbimus, sicut est!

**Conf. 3.** Verba D. Hieron. in c. 16. Marc. *Stupenda sunt, quæ preparavit Dominus diligentibus se* Miramur cum ratione conjuncta: quæ rationem superant stupemus; talia sunt, quæ preparavit Dominus diligentibus se. O quomodo radix amara crucis evanesceret, si florem vitæ æternæ cum fructibus ejus attentè consideraremus!

## MEDITATIO CXXV.

Sabbato post Pascha.

*Septem gaudia B. Virginis ex Christo glorioso.*

**V**ldebo septenis doloribus ejectis cor Virginis à septem gaudijs obtineri. Pe-  
K tam

tam ea intelligere, eorumque fieri particeps.

*Conf. 1.* Gaudium de restitutione honoris DEI: ut enim in Divæ corde non erat major amor, quàm amor divinus, sic in ejusdem corde non fuit majus gaudium, quam ex reddito honore DEO, per peccatum antea ablato, nunc autem per merita Passionis Christi reddito, agnitione summi boni, & amore finis ultimi, ejectione turpissimarum bestiarum peccati, & passionum, renovatione imaginis DEI, subjectioneque voluntatis eius per leges agnitæ. Augebo gaudia Divæ renovatione odij contra omnes defectus, & affectus inordinatos.

2. Gaudium de impassibilitate Filij, quæ Dei. Diva omnes homines & Angelos superavit amore, quo amabat divinitatē D. LEVI magis igitur gavisæ est visio impassibili Filio Dei à mortuis reduce.

3. Gaudium ex impassibilitate Filij, quæ sui. Magnus est amor patrum in filios, quæ natura eorum multiplicatur in filijs, in quibus amant partem substantiæ suæ propriæ. sed Diva Filium amabat amore naturali, & supernaturali: æquè igitur gaudebat.

4. Ex impassibilitate sponsi. Propter quod amatur proles, amatur & Sponsus: proles amatur summè propter amorem sui: quæ

verò altioris erat amor Divæ in se, & in Filiū, ita & altioris ordinis fuit eius gaudium.

5. Ex impassibilitate IESU Patris Pater est, qui generat naturæ suæ similem: Christus per gratiam nos sibi generavit, in primis verò B. Virginem: quare quò magis ipsa Patrem suum dilexit, eò amplius gavisa est.

6. Ex absoluta Christi ab omni dolore liberatione, quos ipsa dolores quo magis antè penetraverat, tantò amplius ex absterfione illorum lætata est.

7. Propter restituta tria bona, quibus nihil potest esse melius: Amicitiam Dei, & hominis: Participationē fructūs Passionis Christi, & Jus ad summum bonum obtinendum, nihil est melius his tribus bonis acquisitis, nihil pejus his ereptis. B. Virgo vim utriusq; excellenter agnovit, gavisa igitur summè est, & meam ingratitudinem suppleverit. Petam fieri particeps horum gaudiorum.

MEDITATIO CXXVI.

*Dominica in albis,*

*De nova apparitione post octidies facta.*

**A**spiciam undecim Discipulos, postquam ex præcepto Domini abiissent in Galiliã, clausos non metu, sed alijs de causis à Domino repente visitatos, præsentem Thomã. Petam viles fructus hinc colligere.